


PARAPHRASIS quinti Capitis IESCHAHIÆ.



EDINBVRGI EXCVDEBAT ROBERTVS CHARTERIS Anno Domini 1609.


BRITISH
MUSEUM

PARAPHRASIS quinti Capitis IESCHAHIÆ.

PEctora plena Deo nil jam mortale ſonabunt:
Namq. patrem ætheriũ mens ardet amore canendi,
Quem facilem dominum, placidumq. agnoſco parentẽ
Quique animum patrii radiis incendit amoris:
Cantanda é Phario traductaque vinea fundo,
Quam magis hac alma charus mihi luce, ſupinis
Collibus inſevit, nec ſegnibus ubere clivis.
2 Cui decus, aſsiduo peperit cui robora cultu,
Tutaque prætendit pulchro munimina ſepto,
Germinibuſque gravi exemit ſabulone rudeta,
Purius ut puris ſereret ſua ſemina ſulcis:
Neve reformidet prædantum furta latronum,
Longè ut proſpectus ſpeculaque petatur ab alta
Muniit hanc cælo ſubductæ fabrica turris,
Et nudata novo tincturum crura falerno
Torcular exciſum, vinaria colaque præli.
Expectata licet cultæ ſit gratia vitis,
Spe tamen hæc dominum vana deluſit inanem.
Sparſit enim labruſca ſuis vineta racemis,
Fecit & ingratos nulla mercede labores.
3 Nunc agedum regni ſedem ſolymæa colentes
Mœnia, quæque tuos jactas Iudæa colonos,
Arbitrium tantæ vobis tranſcribere litis
Vineto intentatæ animo ſententia conſtat.
4 Huc vigilans ſtudium, vires & cura labores
Huc tulerant omnes, generoſæ ut fertilis uvæ
Vinea noſtra foret, labor hic effuſus, at ultra

Quid potui? nullæ decori sint vitibus uvæ?
Spargeret & labrusca suis vineta racemis?
5 Mersa diu tenebris nunc fata extrema canemus,
Pampineę neglecta manent quæ brachia syluæ,
Hanc (super indignas hyemes, solemque potentem)
Sepibus orbatam solitis populabitur hostis:
Quosque juvat complere vagis erroribus orbem,
Depasti hanc prædam rapientque ferentque petitam,
Nudaque disjectis pandentur semina vallis
Vineaque hospitibus dabitur calcanda profanis.
6 Excidioque petam, desolatamque revellam,
Nec teneras tondere comas, ramosque fluentes
Stringere, nec fuerit mihi fingere cura putando;
Vulnera non duri tellus patietur aratri,
Sentis, & assurget densis vepre^c^ula spinis
Nec grauidis læti fundentur nubibus imbres.
7 Iova potens armis, numerosoque agmine, gentem
Isacidum, Iudamque suæ plantaria dextræ
Dicit, delitijs se olim pascentia gratis,
Sylvestres posuisse animos sua semina, voto
Responsura suo sperans, lętumque quotannis
Proventum recti & quem regula postulat æqui,
Ecce tamen planctus miserorum, en dura ferentum,
It gemitus, clamor, lamentaque tristia cælo.
8 Heu stirpem invisam, & miseræ deliria turbæ,
Contiguam quæ quamque domum, vicinaque rura
Poscitis, & terras omni ditione tenere,
Haud positis rerum metis, dum cuncta premantur
Imperio latè loca, dum regnetis vbique
Terrarum domini, posita formidine soli.
9 Ergo opifex rerum cuncta stipante corona
Talibus ecce modis ora indignata resolvit

Auribus

Auribus hanc vocem manifestam exterritus hausi:
Comprecor ante mihi sors sit durissima fati
Præcipiti ni multa labant convulsa ruina
Culmina, disjectæ & quasso fundamine moles,
Ni celsę extinctis pereant cultoribus ædes.

10 Vitiferi bis quina soli ni jugera ferro
Inuersa, & validis quanquam sulcata lacertis,
Extulerint unum bacchi tantummodo bathum,
Terraque det nullos teneris sementibus auctus
Frugibus infelix, Cori ex semente Medimnum
Namque feret solum, decimas vt seminis vnum.

11 Gentem infelicem cui gratum surgere pluma
Ocyus auricomum Phæbus quam suscitet orbem,
Et genium placare mero, cum primula lucem
Obscuramque trahunt cum sera crepuscula noctem,
Dum vina incendant animos furialibus ausis.

12 Splendida quæ tanto celebrant conVivia luxu
Musarum, & dulci implentur certamine Bacchi:
Nunc citharæ blandis mulcent tinnitibus aures,
Garrula vocali reboant nunc nablia cantu,
Et tremulæ tundunt resonantia tympana palmæ,
Nunc inflata modos effundit tibia molles:
Mutua sic inter sese conuivia curant,
Languida dum nimio marcescant membra Lyæo,
Et secura dei mortalia pectora nunquam
Miranda expendant dextra monumenta potentis.

13 Ergo solum exilio patrium mutabit acerbo,
Bruta quidem, mentemque cava gens condita nube
Consilij non gnara mei, quam carpere tantum
Hic juvat illecebras fluxas, & commoda vitæ,
Ieiunaque fame ruituri lumina regni
Pallescent, plebisque uret sitis arida fauces,

14 Ergo avidi late pandentur limina lethi,
Et patulum tumuli diſtendet janua rictum,
Funeſto hauſurum morſu, trepidoque tumultu
Cum populo patres ſolymæ capita alta ferentes,
Qui jam feſta novo celebrant genialia motu.
15 Sic opibus claræ gentes, ſic plebis egenæ
Compeſcet ſcelerum contagia fœda, ſuperbum
Deijciet dominus faſtum, fera corda retundens.
16 Sic rex armipotens, animo metuendus iniquo,
Cernere dat ſancta ſe majeſtate verendum,
Iudicio capitis juſto de ſontibus acto.
17 Sic ovium fœtus ſolito de more tenelli
Paſcentur placidè viridis per pabula campi,
Et reduces vacuis pingueſcent ſaltibus agni.
18 O genus exoſum triſti tot crimina famæ
Proſtituens, pleno tecum quæ plurima plauſtro, &
Magna trahis, cumulans ſtudio patrata maligno,
Et ſcelerum longam maleſana mente catenam,
Denſa velut gravidos trudunt funalia currus.
16 Siccine divinam ſcelerata irrideat iram
Turba? quod intentant verborum fulmina fruſtra
Scilicet id premet incautos: quæ ſera moratur
Segnities celerent tanti decreta furoris,
Et ſancti Iſacidum tententur robora regis.
20 Væ, quibus exoſi ſordent malè commoda recti,
Turpiter amplexis nullo diſcrimine curvum,
Quique atras ſpreta ſectantur luce tenebras,
Væ quibus vt potior dulci præfertur amaror.
21 Væ genti veſana comes ſapientia faſtus
Quam iuvat urgentem mala, propoſitique tenacem,
Auribus ingratis nihili meliora monentes
Ducentemque, ſibi ſoli nimiumque placentem.

22 Væ

22 Væ liquidi qui ſola crepant certamina Bacchi,
Queis decor eſt ſicera miſtos vrgere Culullos,
Queis honor eſt validas in vina effundere vires,
Dum tumidas calido venas inflentur Iaccho.
23 Heu miſeros, quorum contorta lege tribunas
Corrumpit manibus captatum munus avaris,
Libera vt improbitas graſſetur crimine, iniqui
Aſpera Iudiciique bonos ſententia damnet.
24 Ergo velut ſtipulæ faſces arentis adurunt
Extemplo tremulæ ſinuoſa volumina flammæ
Grata pyræ exſucci pereunt alimentaque fœni,
Impietas a ſtirpe ima ceu tabe veneni
Marcida,& in fumos abiens,& blanda propago
Pulverea vt nubes, tenues vaneſcet in auras:
Quod temerata ſacri calcarant dogmata verbi
Irritaque incertis dederant oracula ventis.
25 Hinc opifex rerum flammato corde furorem
Hauſerat in populum, librata vulnera dextra
Fixerat,& ſcelerum pænis compeſcuit ipſum,
Dura quibus rigidi rumpantur robora ſaxi.
Namque infleta viis jacuere cadavera plenis,
Sordida ceu præda agminibus lanianda ferarum:
Nec tamen hic laxas iræ contraxit habenas,
Longius armatam ſtatuens extendere dextram.
26 Nam belli vt ſignum cœli regnator ab arce
Extulerit, genteſque extremi a finibus orbis
Excierint rauco non æris cornua cantu,
Quæ Martem accendant, divini at ſibilus oris
Arcano pulſans hoſtilia pectora motu.
Ecce repente volans crepitantibus agmen in armis
Confluet, arentes numeroque æquabit arenas.
27 Corripietque viam diſtentis robore nervis

Bellator, non lassa trahens, non ægra labore
Corpora, nec vino, nec membra sepulta sopore
Languebunt, necubi nectetur causa morandi:
Ad fortunatis cinctutus miles in armis,
Dura feret secum rigidi certamina Martis
28 Spicula corripiet lævato lucida ferro
Acer, & adducto sinuabit cornua nervo:
Vt miseros arcu stringat, fusoque cruore
Imbuat emissas taxo stridente sagittas:
Bello armantur equi, solido quibus vngula saxo
Durior, arva Vago quatiet, findetque tumultu.
Gloria cui fuerit turmas numerare curules,
Fulmineo celeres cursuque lacessere ventos.
29 Rugiet horrendùm tanquam genus acre leonum,
Rugiet vt catulus depulsus lacte Leonis
Feruidus in prędam cum fertur, & ore cruento
Perfurit, ac spolijs fruitur fremebundus opimis,
Intrepidè invisum retulit quæ victor in antrum
Faucibus hæc raperes? aut contra audentior ires?
30 Illius imperium cum quæ malesana furentis
Detrectare audet fiducia, talibus ausis
Excidet horribili fremitu stupefacta, suorum
Ausit & ipsa suum caput obiectare periclis.
Eius ad aspectum lustrantis lumine terram
Flebilis heu subitæ gens obruta mole ruinæ
Pessum abit, offusis horrescit terra tenebris.

FINIS.

